

predia ecclesiarum vetustate temporum in avulsionem non debent revocari, ita etiam oblationes fidelium in errorem non debent retractari. Inde est quod notum esse volumus tam presentis quam futuri temporis Christi fidelibus, quod quidam Sigvinus bone devotionis laicus pro remedio anime sue deo et sancto Iohanni baptiste obtulit tabernam in civitate Magdeburgh, que quinque solidos annuatim in pensione solvit, ea tamen conditione ut filius ipsius Hartmannus et eius heredes predictam tabernam possideant, v dum solidos annuatim solvant. Decrevit itaque commune fratrum nostrorum capitulum, quatenus pensionis iam dicte census per singulos annos ad armariam rediret et armarius utpote fidelis procurator libros et organa, cum opus fuerit, repararet. Vt ergo huius fidelis Sigewini inconvulsa permaneat donatio, presentem scedulam scribi facimus et ut nullus successorum nostrorum communis capituli sententiam audeat vel possit ullatenus infirmare, sigillo ecclesie nostre insignitam volumus ut debemus roborare.

*Original mit Siegelfragment im Staatsarchiv zu Magdeburg s. r. Kloster-Bergische Stiftung 7. Abschrift im Privilegienbuche S. 237—238 mit der Ueberschrift: Magdeburgi cuiusdam taberne donatio. J. XVI. — Vergl. Magd. Regesten I, n. 1748.*

*Die Regierungszeit des Abtes Reinbod fällt in die Jahre 1190—1208.*

1202.

54.

*Konrad, Bischof zu Halberstadt, spricht dem Abt Reinbod zu Berge den Zehnten von einem neu angelegten Weinberg in Besenstedt zu, welchen der Ritter Widekind von Schochwitz dem Kloster streitig machen wollte.*

In nomine sancte et individue trinitatis. Conradus divina clementia Halberstadensis ecclesie episcopus universis Christi fidelibus, ad quos hoc scriptum pervenerit, in perpetuum. Ad nostre sollicitudinis debitum videtur pertinere in omni re dubia veritatis seriem indagare, ab omnibus quoque controversiis que ad nos deferuntur quantum prevalemus dubium amputare. Vnde notum esse cupimus tam presentibus quam future successionis Christi fidelibus, quod cum multo tempore controversia verteretur inter dominum abbatem R. ecclesie sancte Iohannis in monte in civitate Magdeburgh et Widekindum militem de Scochwice super decimatione vinee cuiusdam noviter culte in territorio ville Bisenstide, cuius decima pertinet ad dictam ecclesiam, domino abbate decimationem vinee iuri suo addicente eo quod in ipso culta erat territorio, cuius decima sue pertinebat ecclesie, milite vero predicto decimationem ipsam repetente, quam quia in novali culta esset nobis vacare dicebat et se a nobis eam iure feudali possidere. Partibus hinc inde disceptantibus ventum est ad sententiam, que dictavit, quod si dominus abbas probare posset quod vinea de qualis erat exculpta fuisset in territorio ville pre-taxate, vinee ipsius decimatio ad decimam ecclesie sue pertinentem sine omni questione iure pertineret. Quod dominus abbas in plena synodo nostra coram nobis probavit per testes omni exceptione maiores,